

DE
POENA PARRICIDII

SECUNDUM LEGES GERMANICAS

ET GALLICAS

CONSENTIENTE JCTORUM ORDINE.

PRO LICENTIA

GRADUM DOCTORIS

RITE CONSEQUENDI

A. D. XX. MAJI A. R. S. MDCCCLXXXIII.

DISSERET

JOANNES WEILER

ARGENTORATENSIS.

H. L. Q. C.

ARGENTORATI

Ex Officina JOH. HENR. HEITZII, Universitatis Typogr.

LOEANI PARRICIDI
ILLUSTRI
LIBERALITATIS OTTONIANÆ
DISPENSATORUM
COLLEGIO
VIRIS
DE RE PUBLICA SACRA LITERARIA
IMMORTALITER MERITIS
IN GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM
HASCE PAGELLAS
D. D. D.

A U C T O R.



*E*xhibeo tibi, Benevolē Lector, observatio-
nes de Poena Parricidii secundum Leges
Germanicas & Gallicas, in Dissertatione
praeclarissimā a) promissas. Da veniam festi-
nanti calamo. Iter enim quod instat, non
permittit, ut primas lineas, quas praeceuntibus
CARPOVIO b), Jo. SAMUELE FRIDER. DE

a) Quam Praefide Vene-
rando Praeceptore meo Jo.
DAN. REISSEISSEN d. 7 hujus
mensis publice defendi.

rernum criminal. quae observa-
tionibus Jo. SAM. FRIDERIC.
DE BOEHMER aucta prodiit
Fr. ad Moenum 1758.

b) *Practica nova Imperialis*

A 2

BOEHMER c), KRESSIO d), FROELICHO e),
ex Germanis; FERRIERIO f), DENISARTIO g),
 BRILLONIO h) & VOUGLANS i) *ex Gallis*
ducere coepi, magis poliam ac ultimae limae
subjiciam. Vale faveque.

c) *Medit. in Consit. Criminale*. Carol. Halae Magd. 1770.

d) *Comment. in Consit. Criminal*. Caroli V. Imp. Hannoverae 1760.

e) Frölichs von Frölichsburg Comment. in Kaiser Carl V. peinliche Halsgerichts-Ordnung Taf. u. Lpz. 1759.

f) *Dict. de Droit & de Pratique* voce *Parricide*.

g) *Collection de Decisions nouvelles de Jurisprudence voce Parricide*.

h) *Dictionn. des Arrêts voce Parricide*.

i) *Traité des crimes & de leurs peines Tit. IV. chap. 4. Iqq. Loix criminelles de France dans leur ordre naturel* Paris 1780 fol.



CERBESAOI D)

Caro. Halae Magd. 1770.

G. G. P. 1770.

Denkschrift der Akademie zu Berlin 1770.

§. I.

Germanicae leges, quas de poenis parricidii scriptas habemus, ac praxis criminalis, non unam eandemque in caedem cognatorum & affinium absque discrimine gradus statuunt; sed gravius puniendum jubent patris, matris, infantis, fratribus, sororis, uxoris, aliorumque cognatorum & affinium, quam reliquorum occisorum. Differt quoque poena patrati & plene probati parricidii ab ea, quae in idem delictum, quod absque proposito fuit commissum aut in quo de corpore delicti certo non constat, autquod in conatu saltem perstitit, scriptest. Ut itaque ordine procedam, de singulis separatum acturus sum.

§. II.

Si verba CONSTITUTIONIS CRIMINALIS CAROLINAE quae in criminalibus per Germaniam, et in patria quoque urbe multum valet, inspiciamus; distinctiones modo citatae non adeo rite expositae sunt, ut nullum plane dubium super sit, quaenam poena in singulorum graduum cognatorum caedem distanda sit; imo in ipsam patris caedem, quae proprie parricidii nomine insignitur, poenam peculiari commate scriptam haud invenimus. Supplenda, quae desunt, ex ratione legis & ex usitata per Germaniam praxi. Duo saltem in NEMESI CAROLINA extant passus, qui de caede conjunctorum praecipiunt. Alter de infanticidio a matre commisso loqui-

tur; alter occasione poenae in homicidas pronuncianda
in parricidis poenam exasperandam esse jubet. Sed in
utroque legislator sibi ipse non constare videtur & arbi-
trio judicis poenam feligendam relinquit.

En prioris loci verba a): Item welches Weib ire
Kind, das Leben unnd Glidmas empfangen hett, heymli-
cher boshaftiger williger weiss ertödet, die werden ge-
wonlich lebendig begraben unnd gepflegt, Aber darinnen
Verzweiffelung zu verhütten, mögen dieselben Uebel-
thäitterim im welchem Gericht die Bequemlichkeit des
Wassers darzu vorhanden ist, erdrenct werden. Wo
aber solche Uebel oft geschehe, wollen wir die gemelten
Gewohnheit des Vergrabens unnd Pfehlens unnd mer
Forcht willen, solcher boshaftigen Weiber auch zulassen,
oder aber das vor dem extrenken die Uebelthäitterim mit
glügenden Zangen gerissen werde, alles nach radt der
Rechtverstendigen. Concordat cum NEMESI CARO-
LINA ORDINATIO CRIMINALIS BAMBERGENSIS b), quae iis-
dem verbis eadem circa infanticidium puniendum statuit.

Alter passus in C. C. C. obvius doctrinam, de qua
tracto, concernens, sequentibus verbis concipitur c) &
iterum de verbo ad verbum CUM BAMBERGENSI ORDINA-
TIONE d) convenit: Man mag imm fürgesetztem Mordt,
so der an hohen trefflichen Personen, des Thetters ey-
gen Herrn, zwischen Ehleuten oder nahend gesixpten

a) Art. CXXXI.

b) Art. CLVI.

c) Art. CXXXVII.

d) Art. CLXII.

Freunden geschicht durch etlich Leibstraff als mit Zangen reissen oder Aufschleryffung vor der entlichen Todtung umb grösser Forcht willen die Straff meren.

§. III.

Apparet ex modo allegatis, per Germaniam parcidii ream haberi matrem, quae infantem suum neci dat. Sed abest poena cullei, quam Germanica praxis plane ignoravit, uti me quidem judice, recte monet DE BOEHMER e); verba enim, quae in GLOSSATORE SPECULI SAXONICI f) occurrunt, somnia potius auctoris demonstrant, quam adoptatam ex jure Romano cullei poenam probant; & ex eo sua hausit SPECULATOR SUEVUS g). Proabant nostram sententiam Caroli V. verba, qui de culleo filet & poenam priscis Germanis usitatam afferit vividefossionem, vel stipitis per medium hominem adactionem. Nec absque ratione illud dici ex testimoniosis, quae passim occurrunt in Legibus Germanicis priscorum temporum, probatur. Mitto septentrionalium provinciarum exempla, e quibus KRESSIUS h) quaedam collegit; unicum hic afferre lubet, majorum nempe vicina Argentorati loca inhabitantium usum, quem ex literis WENCKERI nostratis ad se scriptis docet idem KRESSIUS i) haec habens: *Scripsit quoque ad me celeberrimus WENCKER, daß das lebendig begraben in*

e) Observat. ad CARPZOVII h) Comment. in C. C. C. ad art.
Part. I. qu. 8. obs. I. CXXXI. p. 419 sq.
f) Ad art. XIV. i) l. c.
g) Cap. CCXXXI.

Dem XIV. Seculo noch, selbiger Gegend, nehmlich bey Straßburg, und zwar unter andern in einer nahmhaften Stadt, in Brauch noch öfters gewesen. Horridum vividefossionis ex Imperatoris Maximiliani I. Rescripto statutum exemplum in pueram 13 annos vix natam, quae dominum, cuius famula erat, communi cum aliis famulis crimine interfecera, ipsis Chronicis Augustensis verbis refert modo citatus AUCTOR k). Omnia haecce in sententiam me adducunt, antiquam in parricidas scriptam poenam vividefossionem fuisse, non culleum; nec me movet CARPOZOVII auctoritas, quippe qui, ut omnes norunt, in id semper intentus erat, ut praxin juris Romani per Germaniam stabiliret; quo factum, ut haud pauca momenta absque solidi probationis fundamento doceret, deceptus multoties constitutionibus Electoralibus Saxonicas, in quas contra patrias leges multa ex jure Romano migrarunt.

§. IV.

Poenam vividefossionis & stipitis per medium hominem adactionis constitutione sua aboluit CAROLUS V. illique substituit submersionem in aquis, in locis mari aut flumini vicinis. Rationem statim addit, quoniam nempe verendum, ne adeo gravis poena, qualis erat vividefossio, delinquentem in desperationem abigat. Laudandus omnino legislator, nam, crimina licet atrocissimis poenis

k) l. c. ad art. CLXIV. p. 592.

poenis vindicanda sint, semper tamen attendendum est, poenam non solum ad vindictam publicam dictari, sed etiam ad correctionem rei aut saltem ejus poenitentiam coram supremo actionum humanarum judice respici debere, hinc a poena abstinendum, quae condemnatum in furorem rapiat. Sed, quod non immerito CAROLO V. vitio vertitur, judicem in suspenso relinquit, quamnam poenam statuat in matrem infantem necantem in locis a mari aut flumine remotis; judicis prudentiae illud reliquise videtur, quo modo poenam in homicidas scriptam, quae ex ipsis Constitutione in latrones & assassinos est rota, in alios perrixam necantes gladius *i.*, in matre infanticida exasperet. Periculorum enim semper est, judici relinquere, quae non sunt sui officii; hinc &, ut videtur, effectum, ut Carolus V. adderet, sententiam esse ferendam ex consilio & adstantibus JCtis. Illud denique monendum, legislatorem Germanum non in omnibus casibus derogasse poenae vividefossionis & stipitis per medium hominem adactionis. Permittit illam, ubi frequens infanticidii delictum, major ut timor injiciatur nefandum tale crimen admissibilis. Sed & hic trepidantem & ab asperritate hac poena abhorrentem deprehendimus Carolum, cum statim addat, loco ejus infanticidam aquis submergendam, antequam supplicio detur, candidis forcipibus esse impetendam.

¶ C. C. art. CXXXVII.

B

§. V.

Poenam hucusque expositam in matre infanticida locum habere, ipsa legis verba probant: sed occasione ejus interpretes varias moverunt quaestiones, quas & hic tangere necessarium duco. Prima illa est, an eadem poena afficienda mater filium ex illegitimo coitu natum occidens? Affirmando rem decidere nullus dubito; praxis enim Germaniae principium, quod ratione juris Romani probavimus ^{m)}, ubique natura spectatur & sanguis, ibi naturales legitimis aequari, non respuit.

§. VI.

Secundo patrem filium suum necantem eadem poena submersio esse afficiendum, nullum dubium superstet; quamvis enim lex de matre tantum loquatur, illud tamen verissimum est, eadem vincula sanguinis patrem filio ex se procreato adligare, quae matrem; hinc ex generali regula, ubi eadem est ratio legis, ibi eadem est ejus dispositio, recte illa ad patrem applicatur. Sed an solus pater legitimus ea teneatur; an vero et illi, qui ex illico ac damnato coitu natos interficiunt, eodem modo plectendi sint, disputant Doctores. Quae hac occasione circa mitigandam, praecipue ratione caedis liberorum adulterinorum & incestuosorum, poenam afferuntur, minime mihi cum lege concordare videntur, nam damnata a libeis liberorum procreatio officia patris

^{m)} Dissert. de Parricidio §. V. not. n) pag. 7.

* II *

naturalia non minuit, licet civiles effectus adimat. Illud tamen non nego, saepius poenam ex innata judici in delinquentes misericordia mitiorem dictatam fuisse, quam quae legibus erat praescripta. Unicam ex ipsa legis ratione admittendam esse puto exceptionem in casu, ubi non satis certo constat, imperfectorem esse patrem illegitimi ab ipso occisi; qualem satis lepidum affert BOEHMERUS n). In tali poenae homicidii ordinariae locum esse existimo.

§. VII.

Denique avum & aviam aliosque ascendentes unum ex descendantibus occidentes poena eadem, quae patri & matri dictatur, mastandos esse, nemo facile negabit; iura quippe sanguinis non in primo gradu persistunt, sed merito extenduntur ad eos, a quibus originem ducimus sive mediate sive immediate; ac infantum & liberorum nomine veniunt non modo filii filiaeque, sed & nepotes & neptes ulteriorumque graduum descendentes.

§. VIII.

Haec de poena lege criminali Germanica in infanticidium statuta. Ea vero rarius hodie utimur, sed ei rotaplerumque substituitur, in locis in primis a mari aut flumine remotis. Adfunt & exempla, ubi species quaedam poenae cullei fuit adhibita; at non faccio e corio con-

n) *Observat. ad CARPZOV. P. I. qu. 9. obs. I.*

fecto, sed linteo insuti rei, qui tamdiu suppressus, donec suffocatus esset delinquens. Verum haec me non movent, ut poenam cullei per Germaniam usitatam credam, linteus enim foccus potius rationem submersionis demonstrat, quam usum poenae legis Pompeiae, praecipue cum illud certissimum sit, feralem comitatum extra Saxoniā non addī o).

§. IX.

Unicum addīmus. Supra diximus, patriam urbem in criminalibus sequi NEMESIN CAROLINAM; exceptio est in infanticidio, ob quod mater ex Edicto Henrici II. anno 1556. mense Februario edito punitur, quod &, ut ab immanni hocce delicto arceantur matres, singulis trimestribus in ecclesiis a parochis publicatur.

§. X.

Infanticidio ex ratione legis superius adducta similis est caedes ascendeantium a descendantibus admissa; hinc & eadem poena plectenda est, quamvis verba legis de infanticidio solum loquantur. Sed dubii haerent interpres, an in eundem censum veniant ficerum, focrum, vitricum aut novercam necantes. Asperrimae necem sanguine junctorum vindicanti poenae in talibus casibus locum esse, minime probari posse autumo; in iis enim

o) In poena parricidii animalia adhibenda, sed loco simiae felem, praecepit *Constitutio Electoralis Saxonica* 3. Part. 4.

ratio legis cessat. Sed ordinariam homicidii poenam exasperandam esse, probant verba CONSTITUTIONIS CRIMINALIS CAROLINAE p) superius adducta. Illud enim mihi persuadere haud possum, sub terminis nahend gesptyen Freunden cognatos tantum intelligi, affines excludi. Vocem Sippeschaft aevo Carolino consanguinitatem & affinitatem promiscue denotare, testis est ipse CAROLUS q) de poena illicitum cum affine coitus praecipiens, en ipsius verba: Straff der Unkeuschheit mit nahende gesptyen Freunden. Item so eyner Unkeuschheit mit seiner Stieffochter, mit seines Suns Eheweis, oder mit seiner Stieffmutter treibt, inn solchen unnd noch nehern Sippeschaften soll die Straff ic. ic.

§. XI.

Maritidium & uxoricidium inter parricidia referenda esse, nemo ullus inficias ibit, vincula enim, quae jungunt maritum & uxorem, tam arcta habentur, ut haud raro pietati parentibus debitae praeferantur. Sed ex eadem ratione falso concluditur, si poena in infanticidium scripta, quam & in caedem ascendentium statuendam monuimus, extenditur ad uxoridium aut maritidium. Solam homicidii poenam ordinariam cum exasperatione quadam distitat CAROLUS r). Hoc & per Germaniam praxi esse receptum testantur praejudicia a J. HENN. BOEHMERO s) allata.

p) Art. CXXXVII.

q) C. C. C. art. CXVII.

r) C. C. C. art. CXXXVII.

s) Consil. & Decis. Tom. II.

conf. MCLXXVII.

§. XII.

Eadem principia, quae modo ex Criminali Constitutione circa caedem uxoris & mariti attulimus, applicanda quoque veniunt in puniendis iis, qui fratrem sororem aliosque collaterales aut affines interficiunt; ac illi ordinaria homicidii poena secundum gradum cognationis & affinitatis, rite inspectis & reliquis circumstantiis, quae crimen comitantur, exasperata plectuntur ¹⁾. Exasperatio haec plerumque consistit in eo, ut condemnatus, antequam ultimo suppicio afficiatur, candente forcipe prehendatur, aut trahae impositus ad locum supplicii trahatur.

§. XIII.

Quo modo parricidium absque proposito commissum puniendum sit, cum ipsa lex nihil determinet, controvvertunt inter se Doctores. Unica regula quaestionem certo determinari posse, haud credo, sed rite perpendendum esse quemvis in judicio obvium casum, & ex circumstantiis judicium ferendum puto. Innuunt hoc verba NEMESEOS CAROLINÆ ²⁾, cum de expositione liberorum a matre commissa sequentia statuit: Item so eyn Weib ire Kind, umb das sie das abkumm von jr legt, umnd das Kind wirt funden umnd ernert dieselbig Mutter soll, wo sie des überwunden umnd bedretten wirt, nach Gelegenheit der Sach umnd radt der verständigen gestrafft

1) C. C. C. art. CXXXVII.

2) Art. CXXXII.

werden, Stirb aber das Kind von solchem Sinlegen, so soll man die Mutter, nach Gelegenheyt des gewerlichen Sinlegens am Leib oder Leben straffen. Illud vero certissimum, ordinariam parricidii poenam, si delictum absque proposito necandi admissum fuit, non obtinere.

§. XIV.

Cessat dein ordinaria parricidii poena, si de corpore delicti non constat; non enim sufficit sola delinquentis confessio, oportet ut judici certo constet de corpore delicti, quod in hujusmodi delicto per inspectiōnem ipsius necati efficitur. Si itaque haec haberi nequit, tunc caute verisetur iudex in decernenda poena, quamvis praeter confessionem delinquentis aliae adhuc concurrent circumstantiae ac praefumtiones.

§. XV.

Denique dubii sunt juris Criminis Doctores in definienda poena parricidii, quod in conatu perficit. Sermo hic non est de ausu, qui nondum in actus externos proripuit, sed tantum de eo, quem impius actus comittatur. In diversa abeunt interpres, ipse enim legislator nihil praecise determinat. Alii ν) hoc in casu capitalem poenam plane exulant, alii ρ) eam quidem admittunt,

ν) BERGER Ele^d. Crim. Sup- Inquisit. cap. IX. n. 75. FROELICH
pl. obf. I23. Comment. ad C. C. C. Tract. II. L.
ρ) BRUNNEMANN de Processu II. T. XI. n. 12.

Sed judices ad mitiorem coercitionem remittendos censem, siveque verbis tantum, non ipsa re a prioribus differunt. Alii y) tantum in casu, ubi irreparabile damnum conatu illatum fuit, capitalem poenam permittunt illudque probant ex textu in CONSTITUTIONE CRIMINALI CAROLINA z) obvio, ubi legislator sequentia edicit: Item so sich jemandt eyner Missethatt mit etlichen scheinlichen Werken, die zu Volnbringung der Missethatt dienstlich sein mögen, understehet, unnd doch an Volnbringung derselben Missethatt durch andere Mittel, wider seinen Willen verhindert würde, solcher böser Will, darauf etlich Werk, als obsteht volgen, ist peinlich zu straffen, aber inn eynem Fall herter dann inn dem andern angesehen Gelegenheit und Gestalt der Sach, darum sollen solcher Straff halben die Urtheyls, wie hernach steht, rads pflegen, wie die an Leib oder Leben zu thun gebürt. Rem curatius mihi explicasse videtur BOEHMERUS a) distinguendo inter attentatum parricidium proprium, id est in linea recta commissum, & impro prium contra collaterales & affines. Posterius a rigore legis existit, exemplo CAROLI V. qui in parricidio perfecto distinguis locis idem discriminem admittit. In priori iterum duos casus ponit, si in actu remotiori subsistit conamen poenam extra-

y) CARPZOV. Prax. Crimin. P.
L. qu. XVII. n. 21 & 23. LEYSER
Medit. ad ffas Spec. DCX medit.
14.

v) Art. CLXXVII.
a) Observat. ad CARPZOV. P.I.
qu. 17. obs. 1.

extraordinariam, corporalem tamen, dictandam suadet; si vero ad proximum processit, ita ut factio cohabitum fuerit & non a reo steterit, quo minus illud consummat, capitali poenae locum esse autumat.

§. XVI.

In Gallia nulla extat lex specialis in parricidium scripta, si excepitis Edictum Henrici II. Regis mensis Februarii anno 1556. de crimine Infanticidii promulgatum; in reliquis parricidii speciebus supra Regni tribunalia poenam homicidii ordinariam dicitant, sed exasperatam. Illorum, ut vocant, Arresta in similibus speciebus pro norma habentur & constituunt, quod vulgo appellamus *Jurisprudence des Arrêts*. Solam hanc omnem paginam facere, si de poena in patricidiam statuenda quaestio est, uno ore testantur juris criminalis Gallici interpretes b). Ex arrestis itaque eruenda poena.

§. XVII.

Infanticidium a matre commissum ex adducto Henrici II. edicto c), quod declaratione sua die 25. Februarii 1708. denuo stabilivit Ludovicus XIV. d) ultimo supplício punitur; sed speciem poenae ex aggravantibus circumstantiis definiendam judici reliquit legislator. Regulariter

b) VOUGLANS *Loix criminelles de France* Liv. III. Tit. III. §. II. n. IV. & in *Traité des crimes & de leurs peines* Tit. IV, ch. IV. c) Exhibet illud VOUGLANS *Loix criminelles de France* l. c. pag. 179.
d) Vid. VOUGLANS l. c. p. 180.

poena gladii obtinet, cum in genere ex praxi Galliae poena rotae in foeminis non adhibeatur e).

§. XVIII.

In statuenda poena caedis in ascendentes commissae uniformia sunt Galliae Tribunalium arresta f); reo nempe praevia deprecatione ecclesiastica, pugnus praeciditur, dein is èrurifragio vivus punitur, cadaver rogo impositum comburitur & cineres disperguntur. Adfunt & exempla, in quibus ob atroces circumstantias, quae crimen comitabantur, vivicomburium dictatum fuit g); quod praecipue in foeminis usurpatum, quae, uti mox monimus, rotae poena non afficiuntur.

§. XIX.

Praeter capitalem poenam parricidae non modo libere de bonis suis disponere nequeunt h), quamvis & adfunt exempla in contrarium i), sed & a succeſſione eorum, quibus vitam abstulerunt, arcēntur k), imo vindicta nefandi hujus criminis adeo nonnunquam fuit extensa, ut

e) Vid. VOUGLANS l. c. L. II.
Tit. IV. §. III. n. III. pag. 57.

f) DENISART art. *Parricide*,
REPERTOIRE UNIVERSEL DE
JURISPRUDENCE Tom. XLIV, art.
Parricide.

g) BRILLON *Dictionnaire des Arrêts* art.
Parricide.

h) Arrêt du 25 Juin 1619. apud
BRILLON l. c.
i) Arrêt du 5 Février 1665. apud
EUND.
k) Arrêt du 12 Aout 1659. IBID.

filii parricidae a successione avi excluderentur ^{l)}; sed ni-
mias hic rigor in innocentem dein abolitus fuit ^{m)}.

§. XX.

Attentati quoque parricidii poenam gravissimam esse in Gallia, & capitalem, loquuntur autores & sententiae, sed in illo omnes circumstantiae rite sunt perpenduae, quae nonnunquam poenam mitigari suadent; quale exemplum affert PAPON ⁿ⁾ Advocati matrem suam verberibus laceffentis.

§. XXI.

Denique moneo, in Gallia poenam parricidii non omni suo rigore olim adhibitam fuisse in maritcidio, uxoridio, fratricidio, fororidio reliquorumque collateralium & affinium; sed talium criminum rei ordinaria homicidii poena fuisse punitos. Sed recentiora praejudicia ^{o)} extant, quae mariti, uxoris, saceri & socrus interfectores eadem, quam supra definivimus, poena affecerunt.

^{l)} Arrêt du 12 Mai 1655. apud EUND.

^{m)} Arrêt du 4 Mai 1723. apud EUND. & FERRIERE Dictionn. de Droit art. Parricide.

ⁿ⁾ Recueil d'Arrêts notables L.

XXII. Tit. 4. conf. & Arrest. ult. Junii 1615, pronunciatum apud BRILLON l. c.

^{o)} Repertoire universel de Jurisprudence l. c.

THESES MISCELLÆ.

I.

*Doctori juris, 25 annis minori, concedenda est restitutio
in integrum.*

II.

*Bonae fidei possessor naturales & industriaes fructus
percipiendo suos facit.*

III.

*Scriptura ad contractus emphyteutici essentiam non
requiritur.*

IV.

*Foeminae in codicillis nec Romano nec hodierno jure
testes esse possunt.*

V.

*Filius familias fideicommisso grayatus Jure Romano le-
gitimam tantum, jure vero Canonico legitimam & Trebellia-
nicam dedituc.*

VI.

*Qui ex errore juris indebitum solvit, solutum jure me-
ritoque repetit.*

VII.

*L. 8. Cod. de Revocand. Donat. male restringitur ad
patronum liberto inter viyos donantem.*

VIII.

*L. 2. Cod. de Rescind. Vendit. ad emtorem extendenda
est.*

IX.

Tutor ob culpam latam remotus non fit infamis.

X.

*Debitor exceptionem non numeratae pecuniae post bien-
nium opponere nequit.*

Straßburg, Diss., 1776-B

ULB Halle
005 359 813

3



Farbkarte #13



AARRICIDII

506

GERMANICAS

1783, 7

ICAS

FORUM ORDINE,

ENTIA

14

O C T O R I S

UENDI

MDCCCLXXXIII

IMMORTAL

IN CREATI

VEILER

ENSIS.

C.

RATI

III, Universitatis Typogr.